Kaibel, Georgivs
De Sophocles Antigona

AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM

QVAE FIET DIE II. MENSIS IVNII A. MDCCCXCVII

HORA IV

HVIVS ACADEMIAE CIVES

ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR ET SENATVS

DE SOPHOCLIS ANTIGONA

SCRIPSIT

GEORGIVS KAIBEL

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.

Ea saepe falsae opinionis vis est, ut cum primum acuta et speciosa argumentatione defensa fuerit, mox eorum qui plurimum vulgo valent auctoritate confirmata, denique propter ignavam quandam plurimorum credulitatem longa consuetudine inveterata evelli iam non posse videatur. obloqui si quis audeat, timide obloquitur, communis opinionis reverentior quam suae, ita ut proba eius argumenta in levi habita aut silentio opprimantur aut superbius ab adversariis refutentur. immodestiae fortasse crimen apud multos merebo equidem, si confidenter pronuntiavero vulgatam fere de Antigonae Sophocleae oratione extrema opinionem certissimis rationibus refelli posse: genuina enim esse omnia illa quae ante hos LXXVI annos primus Augustus Iacobus spuria iudicavit. cuius viri sententia postquam cum magno elegantissimorum hominum plausu excepta est, multi extiterunt qui novis subinde adinventis criminationibus poetae verba quae tradita erant persequerentur. incommoda esse clamitant, tanto poeta indigna ridicula puerilia et si quid gravius dici potest; succinit chorus, crescit suffragiorum numerus, neque quisquam iam quaerit num poetae mentem et consilium severi iudices recte perspexerint: neque enim facile in tot hominum doctorum concentu et consensu errari posse. verum quidem est minime unum esse omnium de illa oratione iudicium. Iacobus enim cum vv. 905—913 delevisset, audacius Dindorfius totam declamationem quam dicit vv. 900—928 paucioribus quibusdam versibus vere Sophocleis a vetere interpolatore substitutam esse argutabatur, Lehrsius inter utrumque tamquam medius vv. 904—920 damnabat. dubitari nequit Dindorfius quin modum egressus sit, Iacobus quin satis non fecerit, in Lehrsii ratione quid desideretur statim videbimus. in tanto igitur interpretum dissensu unum est in quo consentiant fere omnes, interpolatam esse Antigonae ratiocinationem ex Herodoti de Intaphernis uxore famosa narratione expressam (III 118). callidum adgnosces

interpolatorem, qui sui operis fines vaferrima arte effecit ut nemo certa ratione terminare possit. mihi cum unus Lehrsius videatur orationem a dicendi saltem ratione probabilem restituisse, adscribam qualia ille Antigonam locutam esse credebat resectis eis quae aut spuria putaret aut cum spuriis tam arte conexa ut communi ruina eximi nequirent:

891 ὦ τύμβος, ὦ νυμφεῖον, ὦ κατασκαφὴς
οἴκησις ἀείφρουρος, οἷ πορεύομαι
πρὸς τοὺς ἐμαυτῆς, ὧν ἀριθμὸν ἐν νεκροῖς
πλεῖστον δέδεκται Φερσέφασσ' ὀλωλότων·
895 ὧν λοισθία ἐγὼ καὶ κάκιστα δὴ μακρῶι
κάτειμι, πρίν μοι μοῖραν ἐξήκειν βίου.
ἐλθοῦσα μέντοι κάρτ' ἐν ἐλπίσιν τρέφω
φίλη μὲν ἥξειν πατρί, προσφιλὴς δὲ σοί,
μῆτερ, φίλη δὲ σοί, κασίγνητον κάρα·
900 ἐπεὶ θανόντας αὐτόχειρ ὑμᾶς ἐγὼ
ἔλουσα κἀκόσμησα κἀπιτυμβίους
χοὰς ἔδωκα. νῦν δέ, Πολύνεικες, τὸ σὸν
903 δέμας περιστέλλουσα τοιάδ' ἄρνυμαι·
921 ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην;
τί χρή με τὴν δύστηνον ἐς θεοὺς ἔτι
βλέπειν, τίν' αὐδᾶν ξυμμάχων; ἐπεί γε δὴ
τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην.
925 ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά,
παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες·
εἰ δ' οἵδ' ἁμαρτάνουσι, μὴ πλείω κακὰ
πάθοιεν ἢ καὶ δρῶσιν ἐκδίκως ἐμέ.

brevem hauc ultra modum esse orationem concedes, quam Nauckius sane duobus etiam aliis versibus (922. 23) curtandam censuit, sentiesque tantam verborum parcitatem tantamque sententiarum ieiunitatem a Sophoclis pariter ingenio abhorrere atque a rerum probabilitate: moriturae enim verba sunt et iniuriam sibi factam esse perseverantis. desidero poetae artem uberiorem, aegre fero orationem tam splendide exorsam tam misere cadentem. sed haec levia plerisque videbuntur, quamquam levia esse ego non concedam quae ex ipsius poetae ingenio petuntur argumenta. igitur non quo modo sed quid dixerit Antigona videamus. 'moriendum est, inquit, eoque eundum quo pater quo mater quo frater dudum ierunt: sequor ego ultima longeque miserrima sorte usa. sed hoc habeo solaminis quod meis grata et accepta veniam, quibus quidem mea manu suprema officia pie ac rite persolverim. tibi quoque,

Polynices, eadem praestare volui, sed tua causa iam non laude sed poena afficior'. plane et pulcre haec omnia. tum vero, Lehrsio si credas, ita pergit (921) 'quanam lege divina violata?' participium enim *ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην* verbis *τοιάδ' ἄρνυμαι* subiunctum non potest nisi poenae causam indicare. stultamne magis an iniquam Antigonam dicamus? nemo enim quicquam in deos eam commisisse contenderat, immo Creontis regis edicto non paruerat, quod ipsa dixerat (454) non tantum valere posse *ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.* itaque deorum legibus ut satis faceret, deis ne poenam penderet (459), hominis iussa detrectaverat. aliud igitur dixisse putanda est v. 921: quid dixerit docet versus insequens 'quid ego misera a deis sperem, quemnam ego deorum opitulatorum socium habeam, cum quamvis pio munere functa tamen impietatis crimine maculata sim' [1]). sic qui loquitur deorum sive testimonium sive auxilium antea imploraverat simulque a deis se neglegi questus erat. haec igitur sententia erat eius quode agitur versus: *ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην, ὥστε περιορᾶν αὐτοὺς τοιαῦτά με πάσχουσαν*, 'quid commisi tam grave ut dei eo offensi tam immane supplicium et videre possint et pati?' plane eadem ratione apud Herodotum (VI 12) Iones cum a Dionysio Phocaensi frequenti ad proelium exercitatione vexarentur, laborum id genus impatientes aerumnis et solis calore fessi *τίνα δαιμόνων* inquiunt *παραβάντες τάδε ἀναπίμπλαμεν*, non tamquam certam quandam culpam in deos commissam rati, sed talia deos admittere posse mirantes. similiter etiam Croesus in rogo constitutus apud Herodotum (I 87) dicitur *ἐπιβώσασθαι τὸν Ἀπόλλωνα ἐπικαλεόμενος, εἴ τί οἱ κεχαρισμένον ἐξ αὐτοῦ ἐδωρήθη, παραστῆναι καὶ ῥύσασθαι αὐτὸν ἐκ τοῦ παρεόντος κακοῦ.* piis enim hominibus dei priorum beneficiorum memores vel remittere vel lenire solent poenam quamvis meritam. itaque Croesus multa se deis bene fecisse gloriatur, nihil male Antigona. quae postquam summa cum acerbitate a deis nihil se sperare posse dixit, mutata voce pergit 'haec quae mihi imposita sunt si dis revera probantur (*εἰ τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά* i. e. dis iudicibus, cf. v. 459 *ἐν θεοῖσι τὴν δίκην δώσειν ἔμελλον*), patiar quae patienda sunt et perpessa (i. e. post mortem, ab ipsis dis edocta) forsan quid peccaverim agnoscam: sin vero Creo erraverit i. e. si dis improbantibus fecerit, non severius opto

1) *τίν' αὐδᾶν* (*χρή με*) *ξυμμάχων* (*θεῶν*) i. 'quemnam invocem eorum qui *σωτῆρες* vel *σύμμαχοι* audiunt'. *αὐδᾶν* i. *invocare*, ut Eurip. Ion. 906 *ὠὴ τὸν Λατοῦς αὐδῶ.*

ut dei in illum animadvertant quam ille in me'. haec omnia tam bene et concinne dicta sunt ut fidem faciant recte v. 921 a nobis explicatum esse. iam vero Antigona ut recte dicere posset 'quid feci ut talia in me fieri patiantur dei', necesse est ut in eis quae antecedunt de poenae et gravitate et iniquitate questa sit. non satis est quod brevissime eam dixisse arbitrantur (903) *νῦν δὲ — τοιάδ' ἄρνυμαι*; quae enim sunt ista *τοιάδε*? nihil nisi ipsam poenam si diceret, eam quam Creo antea (885) significaverat *κατηρεφεῖ τύμβωι περιπτύξαντες ἄφετε μόνην ἔρημον*, non liceret verba *ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην* aliter explicare quam solent explicari 'quid feci adversus deos ut hanc poenam mererer?' sed non quod poenam patitur indignatur sed quod talia patitur. poena enim qualis a iudice statuitur una videtur et aequalis omnibus, sed pro reorum ingenio vita aetate diversa vim habet diversissimam. aliter senex feret mortem, aliter iuvenis, aliter vir feret, aliter mulier, aliter qui omnem vitae spem explevit, aliter qui omnia a vita futura sperat, aliter qui contemnit vitam, aliter qui magni aestimat. poenae gravitas in eo posita est quod sibi quisque sive demi sive afferri sentit. itaque ut recte a deis se derelictam videri queri posset Antigona, poenae severitatem describere debebat, debebat pronuntiare qualia sibi ex hac poena mala damnaque eventura essent. ergo careri non potest eis quae tradita sunt omni vituperatione immunia (916):

καὶ νῦν ἄγει με διὰ χερῶν οὕτω λαβὼν
ἄλεκτρον ἀνυμέναιον, οὔτε του γάμου[1])
μέρος λαχοῦσαν οὔτε παιδείου τροφῆς,
ἀλλ' ὧδ' ἔρημος πρὸς φίλων ἡ δύσμορος
ζῶσ' εἰς θανόντων ἔρχομαι κατασκαφάς.

viva vidensque virgo omnibus vitae deliciis privata ad mortem ducitur: iure nunc quaerit, quid tam grave commiserit ut dei haec fieri patiantur. haec verba si genuina sunt, necesse est alia praecessisse quibus apta esset copula *καὶ νῦν*. praecedunt autem haec:

τοιῶιδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ
νόμωι Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν
καὶ δεινὰ τολμᾶν, ὦ κασίγνητον κάρα.

manifestum est verbis *ἔδοξα Κρέοντι ἁμαρτάνειν* opposita esse quae in extrema oratione leguntur *εἰ δ' οἵδ' ἁμαρτάνουσιν* i. e. Creo

---

1) vituperavit Dindorfius quod incertum esset utrum poeta *του* pronomen an *τοῦ* articulum esse voluisset, affirmatque Sophoclem neutrum additurum fuisse. haud dubie pronomen esse voluit, quod non aliter additum est atque Electrae v. 869 *οὔτε του τάφου ἀντιάσας οὔτε γόων παρ' ἡμῶν*.

civesque omnes qui quamvis inviti tamen adsensi sunt regi: aut Antigona peccavit aut Creo. simul vero apparet Antigonam factum defendisse et ad certam quandam rationis normam factum contendisse, cuius quidem disputationis summa in epilogo orationis breviter comprehenditur. haec autem quae desideramus eis ipsis continentur versibus qui omnium fere consensu damnari solent. dixerat Antigona (902) *νῦν δέ, Πολύνεικες, τὸ σὸν δέμας περιστέλλουσα τοιάδ' ἄρνυμαι.* expectamus supplicii saevitatem (*τοιάδε*) describi, neque spes fefellit: sed ante quam eo perveniat oratio, quid et cur fecerit disputat virgo hunc in modum:

καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ·
οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν,
οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,
βίᾳι πολιτῶν τόνδ' ἂν ᾑρόμην πόνον.
τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον·
μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.
τοιῶιδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ νόμωι κτλ.

cum arte vides sermonem compositum, cuius primum verbum *ἐγώ σ' ἐτίμησα* idem etiam extremum est *ἐκπροτιμήσασά σε*, apte id pro sententiarum quae intercesserunt necessitate mutatum et auctum. singula vero non pauca offensui fuerunt interpretibus. sed Herodoti verba (III 119) ante omnia perscribam ut poetam illa ipsa ante oculos habuisse appareat simulque aestimari possit, quomodo imitationis munere functus sit. Intaphernis igitur uxor rogata a Dareo, cur non mariti non filii sed fratris vitam condonari sibi voluerit, ita respondet: *ὦ βασιλεῦ, ἀνὴρ μέν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι· πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκέτι μοι ζωόντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπωι γένοιτο. ταύτηι τῆι γνώμηι χρεωμένη ἔλεξα ταῦτα.* in tanta verborum similitudine pauca admodum sunt quae discrepant, partim inde nata quod Persis mulier et maritum habet et liberos, Antigona autem virgo est: condicionaliter igitur loquitur *εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν, εἰ πόσις μοι ἐτήκετο* et *πόσις ἄν μοι ἄλλος ἦν.* sed quod gravius est etiam argumentandi ratio aliquantum differt. non hoc dicit Antigona 'marito mortuo alium liceret invenire, filio mortuo alium parere possem', sed multo argutius ita ratiocinatur 'marito mortuo alium liceret invenire et ex altero marito, priorem si amisissem, alios parere possem liberos'. graviter vituperari

solet interpolatoris stupor qui nec cogitare recte nec loqui graece potuerit. sed Sophoclis artem vereor ne inculpent, qui Herodoti simplicitatem mirum in modum auxit et exornavit. Antigona enim non pari pretio maritum aestimat ac liberos futuros: 'non viri, inquit, gratia hoc factura eram, nam viri iactura novis nuptiis reparari poterat; multo vero minus filii gratia, filius enim non solum ex eodem patre sed etiam patre mortuo (*εἰ τοῦδ' ἤμπλακον*) altero ex viro nasci poterat'. quae facile subintelleguntur, sine damno omittere licet: haud dissimile brevitatis genus breviter tetigi ad Soph. Electrae v. 64, qua tamen brevitate simul et copia interpolatorem uti non facile ausurum fuisse existimo. vituperantur praeterea verba v. 909 *πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν*: dicendum enim fuisse aut *κατθανόντος τοῦ προτέρου* aut *ἀνδρός* pro *πόσις*. at maior vis in primo quam in secundo est casu, ut si optio dabatur recte poeta primum praetulisse videatur. facile autem est non tam ipsum nomen *ἀνδρός* quam nominis notionem, qua ad sententiae integritatem opus est, cogitando supplere, cum praesertim inter *πόσις* et *ἄλλος* positum sit participium (similia vide ad Soph. El. v. 621) cumque addeceat virginem minus plane loqui de marito ut ita dicam condicionali. non magis recte liberius quoddam dicendi genus v. 905 sq. graviter criminantur: *οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο, βίαι πολιτῶν τόνδ' ἂν ᾐρόμην πόνον.* utrumque enim orationis membrum mancum esse: in altero hoc desiderari *εἰ τέκνον μοι ἀπέθανεν*, in altero hoc *εἰ πόσις μοι ἦν.* equidem neque obscura verba esse crediderim neque aliter enuntiari potuisse sine molestis ambagibus (nam severis illis grammaticis ne hoc quidem satis faceret si scriberes *οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν τέκνον, εἰ μήτηρ ἔφυν*), sed exemplum etsi non habeo prorsus simile, quo singulare et verecundum ut mihi videtur dicendi genus confirmem, similiter tamen Herodotus illo ipso quem exscripsi loco locutus est: *ἀνὴρ μέν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι.* ubi prior exceptio 'si deo placuerit' non ad prius magis quam ad alterum enuntiatum pertinet, altera autem 'hunc si amisero' pari iure etiam priori enuntiato subiungi poterat. simile hoc eo nomine est quod bina membra binis enuntiatis communia alterum alteri adhaerent, dissimile vero quod neutrum membrum ad sententiam plane necessarium est. sed suspectus mihi is est qui antecedit versus *καίτοι σ' ἐγὼ ἐτίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ*, quem ita interpretari solent tamquam scriptum sit *δικαίως σ' ἐτίμησα τοῖς γε φρονοῦσιν*: sed *εὖ* adverbium neque a participio *τοῖς φρονοῦσιν* disiungi potest neque cum verbo *ἐτίμησα*

coniungi. verba *τοῖς φρονοῦσιν*, si quidem hoc valent *ἐάν γέ τις φρονῇ*, plenum et integrum efficiunt enuntiatum; insistit paullulum recitantis vox post *ἐτίμησα* neque potest iterum insistere ante *εὖ*, quod est ultimum et versus et sententiae vocabulum. accedit quod, illud si neges, *εὖ τιμᾶν* non est *iure colere* sed *recte, bene colere*, ut omnino *εὖ* ubi adverbium est (non est in *εὖ λέγειν, ποιεῖν τινα*) nihil nisi auget verbi vim, velut *εὖ οἶδα, εὖ οἴκαδ' ἱκέσθαι, βασανίσαι εὖ τε καὶ καλῶς*; quod quis facit id bene facere dicitur. itaque cum v. 905 causam afferat Antigona cur (*γάρ*) mariti vel filii gratia non idem ausura fuerit, sufficere non possunt quae tradita sunt. dicere debebat 'feci quoniam frater eras'. videtur unus versiculus intercidisse in hanc fere formam refingendus *καίτοι σ' ἐγὼ ἐτίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ ⟨ἀδελφὸν ὄνθ' ὅμαιμον οὐ πέρα δίκης⟩*. reliqua omnia cum meo quidem arbitratu integra sint, ferendus est etiam versus 908 *τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω*, non magis hic importunus quam quae alia rhetoricae cuiusdam ubertatis exempla collegit Vahlenus Ind. lect. Berol. 1883 p. 12. *νόμον* Antigona dicere poterat, quam *γνώμην* dixerat Persis apud Herodotum mulier: haec enim deliberando et iudicando eo pervenit ut prae marito filiisque fratris vitam eligeret, Antigona autem hac tamquam iuris regula et norma usa explicat cur neglecto regis civitatisque imperio (*βίᾳ πολιτῶν*) fratrem sepeliverit. *νόμος* enim non solum id est quod publice *νομίζεται*, sed quod sibi quisque faciendum *νομίζει*, cf. Soph. El. 580. interpolatorem puto ad Herodoti verba se applicantem talia potius scripturum fuisse *γνώμῃ δὲ τίνι δὴ ταῦτα χρωμένη λέγω.*

unum certe, nisi egregie fallor, hac disputatione effectum est, ut deletis versibus 904—920 Antigonae orationem integram non esse concedi debeat. nec vero aut pauciores aut plures deleri possunt sine graviore etiam orationis detrimento. nam si cum Iacobo te contineas in proscribendis versibus 905—913, ita ut v. 914 *Κρέοντι μέντοι* vel tale quid restituas, deerit argumentatio plane necessaria, sin vero cum Dindorfio quis totam inde a v. 900 orationem interpolatoris esse sumpserit, ipsa rei improbabilitate refutabitur. neque enim tanto cum studio scimus interpolatores in Sophoclem saeviisse nec tam egregia id genus hominum comminisci potuisse credimus. sunt enim egregia ac paene divina extrema maxime orationis verba. sed ea quoque quae omnium fere consensu a Sophocle abiudicantur (v. 905—913) Aristotelis certe aetate per optima quaeque exemplaria vulgata erant (Rhet. III 16 p. 1417 a 30). Aristotelem integra poetae fabularum editione uti non iam potuisse non facile credam, maluisse interpolata uti etiam

difficilius; decipi se passum esse interpolatoris fraude virum eruditissimum quidem sed carmina aestimandi parum scilicet peritum, dictu nefas existimo.

sed neque in Aristotelis auctoritate pensanda neque in singulis verbis vel sententiis disceptandis summa rei posita est. levia haec sunt et pusilla qualia grammatici falsa quadam opinione occupati paene inviti undique accersere solent, ne uno pede stare videatur argumentatio. ipsa autem dubitatio aliunde orta est. Goethius enim (Colloquiorum cum Eckermanno vol. III p. 128) ita existimaverat, Herodoteam narrationem a Sophocle expressam tamquam maculam fabulae inustam videri: cum antea nobilissimis rationibus causam suam defendisset Antigona candideque generosam se ostendisset, iam cum mors instaret vilissima causa praetexta paene ridiculam videri: velle sese existeret bonus philologus qui spuria esse verba demonstraret. dicto paruerunt philologi, nec mirum quod summi Germaniae poetae de Sophoclea fabula iudicium ab sua arte comprobare studuerunt. recte vereque Goethium sensisse plerique censebant; qui contra dicebant perpauci verebantur potius tantam Sophoclei carminis partem recidere quam idoneis argumentis Goethii iudicium refellere poterant. neque Bellermanni argutiis licet magna laude nuper celebratis ullo modo Goethium arbitror cessurum fuisse. stat enim illud et inconcussum manebit, Antigonam si solum praeclara quadam et invicta erga deos atque fratrem pietate commotam impii regis iussa detrectavisse credamus, nihil optabilius esse quam ut ridicula quae Goethio videbatur ratiocinatio aliquo modo tollatur. tolli cum non possit, sequitur ut aliam poeta sibi Antigonae imaginem informaverit ac nos facere consuevimus.

videamus de prologo: nam in prologis maxime solet poeta personarum mores tales depingere quales esse debeant, ut in fabula quid vel quomodo agant recte intellegatur. sic autem Antigona festinanti passu excitatoque animo sororem trahens domo egressa exorditur:

ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα,
ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν,
ὁποῖον οὐχὶ νῶιν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;
οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' ἄτης ἄτερ
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμόν ἐσθ' ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

non narrantis vel deliberantis haec verba sunt sed incusantis et acerbe litigantis. nihil quod ab Oedipi scelere derivari possit ipsis

quantumvis insontibus Iovem reliqui fecisse, nihil quod doleat, nihil quod funestum, quod turpe, quod indignum sit, nihil ex his esse quin sibi pariter ac sorori a Iove in rationes inductum sit. fervet Antigona ira dolore odio, verbis utitur ferocibus iniquis impiis: 'nostro capite, inquit, cum solae superstites simus, patris culpam perlui dei voluerunt'[1]. et quamquam omnis malorum copia exhausta videatur, tamen novum nunc accessisse Creontis edictum: *ἢ σε λανθάνει πρὸς τοὺς φίλους στείχοντα τῶν ἐχθρῶν κακά*; pro hoste habet Creontem hostilique erga Oedipi prolem animo incensum eum vetuisse criminatur, ne Polynicis fratris corpus sepeliretur. odit hominem severum et iniustum (*τὸν ἀγαθὸν Κρέοντα* v. 31), non Labdacidarum sanguine editum sed matris fratrem ideoque regio nomine non dignum (*τὸν στρατηγόν* vocat v. 8), certumque ei dudum est et deliberatum (v. 37) iniuriam et sibi et fratri factam ulcisci. contemnit regis edictum, 'sepeliam, inquit, fratrem' (v. 72). contumaciter obsistentem videmus virginem longa miseriarum serie exacerbatam. opposuit poeta sororem sorori. eadem omnia passa est Ismena sed alio omnia fert animo. patris matris denique fratrum horrendis casibus non efferata est sed afflicta et debilitata (vv. 11 sqq. 49 sqq.), nihil quod metuat, nihil quod speret superesse sibi molliter queritur; quicquid contra audeat, augeri malum insanabile. quod rex, quod civitas iusserit (v. 44. 47. 60. 67. 79), sanctum habet. nihil aliud voluit poeta nisi ut ferox Antigonae ingenium cum miti sororis lenitate com-

1) admirabili cum arte poeta penitus commotum animum verbis repraesentavit; recitantem fingas modo intercluso paene modo vehementius acto spiritu. nihil dicam de duplici negatione v. 4. 5 *οὐκ ἔστ' ὁποῖον οὐ τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν*, simillimum enim est quod interpretes attulerunt Aeschyli exemplum Agam. 1634 *ὃς οὐκ, ἐπειδὴ τῷδ' ἐβούλευσας μόρον, δρᾶσαι τόδ' ἔργον οὐκ ἔτλης αὐτοκτόνως*, quod summa cum indignatione dictum est. sed eiusdem plane generis est quod non desierunt coniecturis pessimis infestare v. 2. 3 *ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν, ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ.* duo sunt enuntiata, neque ea in unum coniuncta sed anaphorae vi alterum ab altero separata: 'dic age, quodnam, dic quale tandem malum a nobis deus abstinuerit'. non differunt haec magno opere ab interrogationibus cum vi quadam iteratis, velut Oed. R. 1098 *τίς σε τέκνον, τίς σ' ἔτικτε τᾶν μακραιώνων κορᾶν*, ubi dici poterat *τίς σε τέκνον, ποία σ' ἔτικτε*, vel Cratini in Lagoena *πῶς τις αὐτόν, πῶς τις ἂν ἀπὸ τοῦ ποτοῦ παύσειε.* variatur enim saepius in interrogandi adverbiis sive pronominibus, ut Trach. 707 *πόθεν γὰρ ἄν ποτ', ἀντὶ τοῦ θνήσκων ὁ θὴρ ἐμοὶ παρέσχ' εὔνοιαν* et similius etiam Eur. Phoen. 878 *τί οὐ δρῶν, ποῖα δ' οὐ λέγων ἔπη.* neque interesse multum videtur utrum enuntiata interrogativa sui iuris sint an a sciendi vel dicendi verbo suspensa. itaque nihil in primis Antigonae versibus corrupti est praeter famosum illud *οὔτ' ἄτης ἄτερ*, quod vitium nostro iam saeculo non datum videtur corrigere.

paratum eo clarius eluceret et emineret. Antigona nec civitatem curat nec regem, quem negat de eis iure statuere posse quae sua sint natura (48), et ita argumentatur (71):

κεῖνον δ' ἐγὼ
θάψω· καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν.
φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,
ὅσια πανουργήσασ'. ἐπεὶ πλείων χρόνος
ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε·
ἐκεῖ γὰρ ἀεὶ κείσομαι. σοὶ δ' εἰ δοκεῖ,
τὰ τῶν θεῶν ἔντιμ' ἀτιμάσασ' ἔχε.

hoc dicit fratri placere se malle quam civitati: cum fratre enim aeternum fore contubernium, cum civibus perbreve. non deorum religionem profert, non deorum poenas irasque metuit, sed quo timidum sororis ingenium moveri putat breviter et submaligne iacit 'vide num quae apud deos in honore habentur tibi vilia videri possint'. persuadere sorori ne temptat quidem Antigona, sed acriter et nunc in eam invehitur et postea cum supplicii sociam se sorori adiungere cupit puella bona et ingenua. itaque ad ipsam fabulam nullius momenti est Ismenae persona, ut intellegas quantum Electram cum scriberet in arte Sophocles profecerit. Antigona ipsa qualis esset diversis Ismenae moribus tamquam lumine ex adverso admoto inlustravit.

prodeunt cives Thebani a Creonte convocati, advenit ipse Creo vix unius dieculae rex, oratione sollemni novum regnum inauguraturus. sobrium se ac probum hominem gerit, Oedipo eiusque filiis mortuis affinitatis iure sibi regnum obtigisse breviter et frigide disserens. hominem novum se esse, cuius mens in re publica gerenda nondum spectata sit: acciperent igitur quid censeret. qui patriae commodo non consuleret, sed metu praepeditus taceret ubi loquendi locus esset, eum pessimum regem esse. qui privatam amicitiam patriae amori praeferret, eum nullius pretii esse. sese non cohibiturum linguam, si malis artibus rem publicam peti videret (ἄτην ὁρῶν στείχουσαν ἀστοῖς ἀντὶ τῆς σωτηρίας 185, cf. 533), neque amicum se putaturum qui rei publicae inimicus esset, nam salva re publica omnes salvos esse. propterea (ἀδελφὰ τῶνδε v. 192) Eteoclem pro patria mortuum omnibus honoribus sepeliri se iussisse, Polynici autem qui contra patriam arma tulisset nec funus fieri et canibus avibusque corpus eius proici. incorruptae igitur iustitiae exemplum edendum putavit, qualia edere solent sui commendandi causa qui praeter spem ad summam dignitatem consurrexerunt. norunt hominem cives nec laeti admodum

salutant advenientem (155) *ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς χώρας Κρέων ὁ Μενοικέως ⟨παλαιᾶς⟩ νεοχμὸς νεαραῖσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις χωρεῖ κτλ.* supplementum incertum est, cui praeferas forsan *ἀρθείς* vel simile participium, sed apparet felici casui (*συντυχίαις*) attribui quod calidius postea e Creontis famulis aliquis domini virtuti attribuit (1161): *Κρέων γὰρ ἦν ζηλωτός, ὡς ἐμοί, ποτέ, σώσας μὲν ἐχθρῶν τήνδε Καδμείαν χθόνα λαβών τε χώρας παντελῆ μοναρχίαν ηὔθυνε.* sed languidius etiam et satis ambigue audita regis oratione adsentiuntur:

σοὶ ταῦτ' ἀρέσκειν, παῖ Μενοικέως, χρεὼν
τὸν τῆιδε δύσνουν καὶ τὸν εὐμενῆ πόλει·
νόμωι δὲ χρῆσθαι παντί πού γ' ἔνεστί σοι
καὶ τῶν θανόντων χὠπόσοι ζῶμεν πέρι. [1])

non solum optimum quemque verum etiam pessimum quemque dicto audientem fore promittunt, necessitate scilicet omnes coactos. non percipit Creo verborum aculeos neque invitos sentit cives suae sententiae accedere: pertinax enim magis est quam perspicax. tamen ut fert res non satis confidit defore qui mercedis spe adducti contempta capitis poena in vetitum nitantur; *ὑπ' ἐλπίδων ἄνδρας τὸ κέρδος πολλάκις διώλεσεν* (221). non addit quemnam mercedis spem facturum esse credat, sed de Antigona haud dubie suspicatur, quam pro insita morum austeritate proque odio pridem concepto (cf. v. 10), cum praesertim inhonestata fratris memoria graviter offensa esset, rebellaturam esse credi poterat. sed mox cum corpus in sepulturae speciem pulvere conspersum nuntiatur, non audet Antigonam ream existimare: meminit cum mane vix vulgatum esset edictum, vidisse se per urbem cives fastidiose murmurantes, vultu dubio capita moventes, novi domini iugum aegre ferentes. iam adducitur Antigona in manifesto facinore deprehensa. Creo vehementer perturbatus initio erratum esse ab custodibus sperat (403), mox libere vel potius proterve confitentem graviter increpat: regis edictum et legem publicam violatam esse. ridet Antigona

1) sic emendanda mihi videntur quae tradita sunt *σοὶ ταῦτ' ἀρέσκει, παῖ Μενοικέως Κρέων.* 'necesse est, inquiunt, quod regi placeat eadem etiam civibus placere sive male rei publicae seu bene volentibus. rex enim es, ut quavis lege liceat tibi quidem uti in vivos pariter atque in mortuos'. depravatur autem poetae consilium Dindorfii coniectura *νόμωι δὲ χρῆσθαι παντὶ σοί γ' ἔνεστί που,* siquidem alterius distichi omnis vis in legis notione posita est. *ἀρέσκει τινά τι* notum est dicendi genus: dativis *τῶι δύσνωι καὶ τῶι εὐμενεῖ* accusativos praetulit poeta et metro commodiores et quoniam a dativis dativum (*τῆιδε πόλει*) suspendi noluit.

arbitraria novicii regis imperia nihilique esse graviter iactat prae vetustis deorum legibus: *οὐ γάρ τι νῦν τε κἀχθὲς ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ ταῦτα κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη.* deorum poenas aeternas magis se timere quam mortem tot malorum finem optabilem. nimiam his verbis vim tribuerunt interpretes, qui totam fabulam in eo tamquam cardine versari contendebant ut Antigona sancti deorum iuris propugnatrix imperterrita summis laudibus celebraretur. non satis illi hoc attenderunt quod deorum leges aeternas propterea Antigona advocavit ut cum novicia Creontis lege compararet, ut Creontis legem prae illis contemptu dignam notaret. perbreviter deorum iura commemorarat antea cum apud sororem consilium suum defendebat (77), sed acriter et facunde ubicunque copia data est fratris iura tuetur. non mortem se pavere dicit, *ἀλλ' ἂν εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς μητρὸς θανόντ' ἄθαπτον ⟨ὄντ'⟩ ἠνεσχόμην, κείνοις ἂν ἤλγουν· τοῖσδε δ' οὐκ ἀλγύνομαι* (466)[1]. sane pium hoc fratris sepeliendi officium divinis legibus sancitum est, non vero Iovis gratia, in quem omnem suae miseriae culpam antea contulerat (2), sed frater ne iustis honoribus careret Iovis legibus paruit Antigona. reliqua omnia Creontis contemptu et irrisu plena, desinitque oratio in contumeliosissima verba haece (469)

σοὶ δ' εἰ δοκῶ νῦν μῶρα δρῶσα τυγχάνειν,
σχεδόν τι μώρῳ μωρίαν ὀφλισκάνω.

i. e. 'stulta ego si tibi videor, quod fratris gratia capite meo periclitor, non minus stultus tu qui minis me deterreri posse credideris'. loquitur Oedipi filia, *γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρός,* ut fatetur chorus inter metum et admirationem divisus. mentem virginis Creo perspexit, qui cum suam legem divinae legi contrariam defendere deberet, nihil nisi feram virginis adversus ipsum contumaciam incusat et crimen crimini additum clamat (482):

ὕβρις δ', ἐπεὶ δέδρακεν, ἥδε δευτέρα,
τούτοις ἐπαυχεῖν καὶ δεδρακυῖαν γελᾶν.

sed qui fieri potuit ut rex quod Antigona sanctum ac sollemne suum officium esse dixerat ne verbo quidem refelleret et ne temptaret quidem docere quo nomine publica lex fraternae pie-

---

1) non certa mihi haec Blaydesii emendatio videtur, sed ceteris quae multae propositae sunt praestabilior; codices enim *ἄθαπτον ἠνσχόμην* (sic P: *ἠισχόμην* L) *νέκυν.* immane est quod a Semitelo inventum Iebbius recepit *ἄθαπτον ἤισχυναν κύνες,* quo facto verba *κείνοις ἂν ἤλγουν* dolorem a canibus paratum significabunt. ceterum *τὸν ἐξ ἐμῆς μητρός* non eo sensu dicit, ut Iocastam matrem honorifice nominet sed tamquam *ὁμομήτριον ἀδελφόν*, fratrem sanguinis vinculo sibi coniunctissimum.

tatis religioni antehabenda esset? planum hoc fiet ipsis Creontis verbis (488):

αὐτή τε χἠ ξύναιμος οὐκ ἀλύξετον
μόρου κακίστου· καὶ γὰρ οὖν κείνην ἴσον
ἐπαιτιῶμαι τοῦδε βουλεῦσαι τάφου.
καί νιν καλεῖτ᾽· ἔσω γὰρ εἶδον ἀρτίως
λυσσῶσαν αὐτὴν οὐδ᾽ ἐπήβολον φρενῶν·
φιλεῖ δ᾽ ὁ θυμὸς πρόσθεν ᾑρῆσθαι κλοπεὺς
τῶν μηδὲν ὀρθῶς ἐν σκότωι τεχνωμένων.

cuius repentini consilii estne hoc satis causae quod modo se vidisse ait Ismenam domi furentem et mente quasi alienata? quidni, id quod erat, sororem de sororis sorte sollicitam esse intellegebat? non poterat de Ismena consilii socia suspicari, nisi utriusque sororis idem officium esse novisset, nisi eodem erga se suamque legem animo utramque esse consentaneum ei videretur. gentilicios igitur honores, non privatum erga fratrem pietatis exemplum ab Antigona praestari probe intellegit. huius autem officii particeps Ismena erat, ipse vero rex aliena de gente natus neque audet gentilicia iura impugnare nec regis vel reipublicae iura gentilium voluntati posthaberi vult; immo laudi sibi vertit quod sororis filiae non magis parciturus sit quam cuivis alii (486 et 658). quo vero fortius reipublicae legibus patrocinatur, eo magis pungunt quae Antigona respondet (499): parceret verbis, nihil enim dicere illum posse quod sibi placeret neque sese illi velle placere. quod ipsa fecisset, nihil eo potuisse se gloriosius facere, et probari hoc civibus omnibus, etiamsi metu praepediti tacerent. non civis cum rege litigat, sed regis filia cum tyranno, et acerbe addit quod acerbe dictum non senserunt interpretes, beatum esse tyrannum cum propter alia multa tum quod liceat ei quicquid velit et facere et loqui. funditus his verbis Creontis regnum damnavit non civium consensu munitum sed ipsius arbitrio constitutum. non potest Creo nisi victus ex hac lite decedere, qui ratione defectus verbis duris et contumeliosis abundat; utramque enim sororem petit dum Ismenam his verbis increpat (531):

σὺ δ᾽ ἣ κατ᾽ οἴκους ὡς ἔχιδν᾽ ὑφειμένη
λήθουσά μ᾽ ἐξέπινες, οὐδ᾽ ἐμάνθανον
τρέφων δύ᾽ ἄτα κἀπαναστάσεις θρόνων.

a rebellionis crimine neque hoc neque ullo alio fabulae loco Antigona se defendit, neque potuit nisi mentiri malebat. regis invisi edicto adversata est, quo fratri gentique suae omni iniuriam fieri sentiebat; adversatura etiam tum erat si aliud quidlibet Creo

iussisset quod suis gentilibus iniuriosum existimaret, non deorum legibus opitulatura sed Labdacidarum honores a regis novicii impetu vindicatura. fortiter et gloriose se fecisse dixerat (502) eoque aegrius fert quod soror eodem sanguine nata sed virtute degenera gentiliciis se officiis negaverat. itaque ira ac contemptu magis magisque incalescens iniquis sororem contumeliis obruit, refutat participem facinoris nobili se fraude confitentem, ridet una mori volentem, fortem factam e debili despicit, deprecantem et de Haemone admonentem ne verbo quidem dignatur [1]. nihil amoris, nihil teneritatis, nullum in ea grati animi vestigium. pro fratre quod moriendum esse videt, mori se dudum voluisse contendit: omnis eius cogitatio in morte gloriosa cupienda versari videtur.

egregie postquam de Haemone mentionem iniecit Ismena, iam ipsum Haemonem poeta inducit Creontis mentem precibus et rationibus expugnaturum. iuvenis patris reverentissimus nihilque magis cupiens quam ut patris et regnum et auctoritas stet (701), sed mitioris quam pater ingenii, de suo erga Antigonam amore nihil loquitur, sed ea ipsa quae Antigona dixerat confirmat, gloriosum virginis facinus a civibus omnibus existimari (695), neque quemquam esse qui arbitrariam regis violentiam probet; non unius hominis esse civitatem, quae sine civium consensu regi non possit. et haec non Antigonae magis gratia quam sua quam patris quam deorum denique inferorum gratia hortari se dicit (748). scite autem hoc fabulae loco positum est filii cum patre colloquium, non solum ut gradatim regis pertinacia primum ab ipsa Antigona, tum a filio unico, denique a Tiresia vate attemptetur, sed etiam ut quid sit intellegatur cur Antigonae animi tam cito ceciderint. nam

---

1) fortiter Ismena, quoniam sororis vita agitur, ad Creontem (568) *ἀλλὰ κτενεῖς*, inquit, *νυμφεῖα τοῦ σαυτοῦ τέκνου*; cui ille *ἀρώσιμοι γὰρ χἀτέρων εἰσὶν γύαι.* tum Ismena *οὐχ ὥς γ' ἐκείνωι τῆιδέ τ' ἦν ἡρμοσμένα*, et rursus ille licet minus impolite *κακὰς ἐγὼ γυναῖκας υἱέσιν στυγῶ.* iam vero quae secuntur verba *ὦ φίλταθ' Αἷμων, ὥς σ' ἀτιμάζει πατήρ* invitis codicibus solent a recentioribus non Ismenae tribui sed Antigonae. sed fieri plane nequit ut Antigona a nequitiae crimine apud Creontem se defendat, alienum hoc est a rigida eius superbia, condignum vero Ismenae nunc ipsum nata fortitudine, et pulcre non tam sorori iniuriam factam sentit quam Haemoni malae virginis sponso. denique vero Antigonae si verba essent, ad Antigonam verba fieri necesse erat quae respondet Creo *ἄγαν γε λυπεῖς καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχος.* quod absurdum est. hoc enim dicit 'molesta mihi et tu et quod iactas coniugium'. *τὸ σὸν λέχος* dictum ut *τὴν σὴν κληδόνα* El. 1110. magis dubium Ismenae tribuas an choro ea quae secuntur *ἦ γὰρ στερήσεις τῆσδε τὸν σαυτοῦ γόνον*; Ismenae nomen in codicibus adscriptum, aptius fortasse Boeckhius choro dedit, si quidem Ismenam probabile est de movendo regis animo iam desperasse.

quae praesente modo Creonte tam dura tam fortis tam prompta ad moriendum videbatur, quae superbe taciturna ne verbo quidem sponsi amore se moveri significaverat, iam sola relicta dum in eo est ut in carcerem abducatur, infando pavore percussa vitae lucem et nuptiarum liberorumque spem relinquendam miserabili voce lamentatur. diu fortiter se coercuerat, primum ipsius facinoris conscientia elata, tum Creonti verita ne debilior videretur: iam Ismenae de Haemonis amore verbis auditis quidquid inest in ea humanitatis resuscitatur et interposito Haemonis cum patre sermone intellegimus haud indignum esse iuvenem, in cuius amore nimia virginis durities mollescat. ut Ismena ipso mortis conspectu corroboratur, ita Antigonae rigor dulci vitae memoria lentescit et flectitur. sed ne sic quidem a se ipsa deficit. querentem chorus consolatur, quod gloriosam et voluntariam mortem oppetierit (817). ad quae nihil illa respondens pergit queri, quod tristissimo Niobae fato suum simile sit. hoc cum chorus magnum esse dixerit et beatum, si mortales cum dis immortalibus comparari possint, graviter et iracunde ludibrio se haberi clamat (838). tum severius paullo sed non iniuste chorus

προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους ὑψηλὸν ἐς Δίκας βάθρον
προσέπεσες, ὦ τέκνον, πόλιν· πατρῶιον δ' ἐκτίνεις τιν' ἆθλον [1]).

i. e. 'eo usque contumaciae prodiisti, ut ad Iustitiae solium tamquam ad scopulum allidereris'. iuris autem solium ac fundamentum res publica est. non obloquitur Antigona, sed quod grave heredium a patre relictum accepisse dicitur, inde novam lamentandi causam repetit: a patris matrisque nefando coniugio omnia mala Labdacidarum domui nobilissimae orta esse, a fratris infaustis nuptiis sibi supplicium venisse (867): frater enim nisi Adrasti filiam in matrimonium duxisset, bellum non ortum esset, viverent fratres et regnarent. non patris non matris non fratris eam miseret, sed quod ipsa parentum scelere prognata (*ἀραῖος* 867), quod innupta moritura est, quod *κλεινῶν Λαβδακιδῶν* (861) gloria evanuit, haec

---

1) de sensu verborum quoniam dubitari nequit, scripsi quod facillimum videbatur *πόλιν* pro *πολύν* vel *πολύ*. alterum, quod in Parisino traditum fertur, ad *Δίκης βάθρον* referri nequit, *πολύν* autem, ut est in Laurentiano, per se quidem cum eis quae secuntur coniungi potest, ut sit *πολύν τινα πατρῶιον ἐκτίνεις ἆθλον*. sed *δέ* particula non recte collocata tollenda, praeterea autem *πατρώιων* restituendum erit cum magno et sententiae et orationis damno. unum est in quo a patre accepto filia plecti dicitur, *τὸ ὠμόν* (cf. v. 471). solvit insitae naturae poenam (*ἐκτίνει*) et quidem suscepto certamine (*ἆθλον*) adversus rem publicam.

omnia acerbissimis verbis queritur, neque quicquam sibi inde solacii quaerit quod erga deos vel erga fratrem piam se praestiterit.

contemnet mortem nemo nisi stoicus, nec ferremus Graecam virginem virtute superbam in ipso mortis aditu tamquam exultantem: tamen erunt quibus nimis debilis nimisque iniqua facta videatur virgo adversus eos quorum miseris fatis magis quam factis in summam vitae miseriam adducta erat. mihi recte omnia et perhumane poeta instituisse videtur, modo non sanctissima Iovis Iustitiaeque iura defendere voluisse Antigonam credas, sed fratris iura a Creonte violata. tota est Labdacidarum filia, suae gentis funesta dedecora et infortunia toto animo persentiscens. omnia enim quae facta sunt artissima necessitudine inter se cohaerent, fratris denique interitus etiam sororis obitum traxit (869):

ἰὼ δυσπότμων κασίγνητε γάμων κυρήσας
θανὼν ἔτ' οὖσαν κατήναρές με.

non paenitet facti, sed tamquam rem omnium maxime necessariam significat 'tu mortuus es, ergo quoniam ego te sepelivi, morior et ipsa'. sed rei necessitatem nemo nisi una soror perceptam habet, civium chorus pulcram quidem et laudabilem pietatem esse concedit, sed nefas iudicat regis iussis adversari:

σέβειν μὲν εὐσέβειά τις· κράτος δ' ὅτωι κράτος μέλει
παραβατὸν οὐδαμᾶι πέλει· σὲ δ' αὐτόγνωτος ὤλεσ' ὀργά.

ita sane est: gentilicii iuris vim et robur nemo potest recte aestimare nisi qui eiusdem gentis est, propterea ab amicis desertam omnique commiseratione destitutam se queritur Antigona. sed verum illud quoque est: non solum pro fratre pugnavit soror verum etiam contra Creontem, hominem infestum sibi quem credit, invisum, immerito regem et dominum, tyrannum iniquum pugnavit Oedipi filia ira et odio immodico incensa. iure igitur vituperatur a choro iureque nihil ad haec respondet Antigona[1]). repetitis que-

---

1) epodi ratio metrica non recte aestimari solet. carminis tripertiti media pars dactylica est, utrimque singulae periodi iambicae supparis fere amplitudinis:

a *ἄκλαυτος, ἄφιλος, ἀνυμέναιος ταλαίφρων ἄγομαι*
τάνδ' ἑτοίμαν ὁδόν·
b *οὐκέτι μοι τόδε λαμπάδος ἱερὸν ὄμμα*
c *θέμις ὁρᾶν ταλαίναι· τὸν δ' ἐμὸν πότμον ἀδάκρυτον οὐ-*
δεὶς φίλων στενάζει.

falsa igitur est quae speciosa videbatur Reiskii coniectura *τάνδε πυμάταν ὁδόν*. dicitur autem *ἑτοίμα ὁδός* via parata ac certa, a qua flecti iam non possit. alterius periodi iambicae (c) haec est forma:

⏑⏑⏑— | ⏑—— | —⏑— | —⏑⏑— | —⏑— | —⏑— | ⏑——

rellis supervenit Creo (882), finem lamentis faciendum esse clamans et ream abduci iubens. cuius audito sermone asperiore redurescens Antigona ultimam illam, unde disputatio nostra profecta est, orationem habet satis diversam a flebili quam absente rege ediderat lamentatione. non iam gentis suae fata queritur sed graviter mortuos salutat seque totius gentis ultimam (Ismenam enim non nunc magis numerat quam v. 941) gratam illis venturam esse sperat. recte se fecisse perseverat, deos rogat aequo iure cum illis agant qui iniquo iudicio sese damnaverint. tum extrema omnium verba profatur (937):

ὦ γῆς Θήβης ἄστυ πατρῷον
καὶ θεοὶ προγενεῖς,
ἄγομαι δὴ κοὐκέτι μέλλω.
λεύσσετε Θήβης οἱ κοιρανίδαι
τὴν βασιλίδα μούνην λοιπήν,
οἷα πρὸς οἵων ἀνδρῶν πάσχω,
τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα.

Thebas suorum maiorum patrimonium appellat, deos suae gentis auctores, regiae stirpis se unam et ultimam superstitem, morituram iam pessimorum hominum iudicio, erga suos quod pia fuerit [1]). se ipsa quod regiam praedicat, eo gravius hoc est quod Creontem nullo totius fabulae loco regis nomine dignata est, hoc quoque titulo ab Ismena diversa, quae semel certe (563) *ἄνακτα* Creontem appellavit, sororis vitam exoratura. itaque in extremo quoque Antigonae carmine manifesta odii et contemptus erga Creontem vestigia deprehendimus: quicquid ille praesens audit, contumeliose dicta omnia, absentem non curat Antigona. neque aliter in ea extremi

---

1) v. 940 singulariter dictum *οἱ κοιρανίδαι* pro eo quod exspectamus *οἱ κοίρανοι* vel *κοιρανοῦντες*, quamquam similia afferri possunt, cf. Lobeckius ad Soph. Ai. v. 192 et 881. sed non possunt aut Oedipi filii intellegi Antigonae fratres nec cives Thebani, quos Creontis praesertim dominatione subactos nihil erat cur urbis dominos Antigona appellaret. longe aliter postea Tiresias (988) Creontem simul ac civitatis primores (i. e. chorum) *Θήβης ἄνακτας* vocat. praeterea autem chorum, qui solus aliquo iure *Θήβης κοιρανίδαι* audire poterat, etsi benevolo erga Antigonam animo erat, tamen cum ausa eius vituperasset, non apte suae iniuriae testem illa invocatura erat. apte autem deos *πολιούχους* antestatur, qualem iniuriam homo ille novus sibi regia stirpe natae et ab indigenis dis originem ducenti intulerit. sic apta etiam extrema verba *τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα*, cf. v. 924. vitium v. 941 *τὴν βασιλίδα* non sustulit Winckelmanni coniectura *τὴν βασιλειδᾶν μούνην λοιπήν*, si quidem *βασιλεῖδαι* vel regis filii vel reges sunt. dicendum erat 'quae una ego de regio sanguine supersum', i. e. graece *τὴν βασιλείαν* (cf. Eur. El. 186 *εἰ πρέποντ' Ἀγαμέμνονος κούραι ἔσται βασιλείαι*) aut certe quod GHermannus proposuerat *τὴν βασιληίδα*. sed dubia haec omnia.

sermonis parte quae multis post Goethium suspecta fuit et punctim et caesim urget feritque hostem: quid enim poterat gravius, quid acerbius, quid hostilius dicere quam hoc, invita civitate (*βίαι πολιτῶν* dixit, non *βίαι Κρέοντος*) se nunquam facturam fuisse nisi fratris gratia, eius cui tamquam patriae hosti Creo funere interdixerat, qui nisi cecidisset Creo nunquam ad regnum pervenisset, quid poterat contumeliosius, cum maritum filiosque futuros fratri postponeret? nonne Haemonem maritum, nonne ex Haemone procreatos filios intellegere debebat Creo, nonne suam progeniem omni scelere immunem sentire debebat prae Labdacidarum sanguine vere regio sed omni infamia inquinato vilem haberi? nonne indignatione dignum erat quod novo atque inaudito plane argumento Antigona singularem in fratrem pietatem excusaret? patienter Creo orationem longam et mordacem tulerat, sed cum ad finem pervenit, ira vix dissimulata vehementer famulos increpans quam citissime Antigonam abduci iubet. nihil video ridiculi vel ludicri, sed gentiliciae superbiae omnia plena: non tam fratrem luget soror quam ultimam nobilissimae gentis spem sublatam, neque alio nomine virum filiumque futuros contemnit nisi quod per illos suae gentis radices propagari non posse videt. hoc interest, quod virum vel filium si sepelivisset, amoris pietatisque edidisset exemplum, fratrem vero cum sepeliret, gentilicio satis fecit officio. quod quidem officium eo gravius erat quod cum parentes mortui essent una cum fratre totius gentis nomen exhaustum interiit. nemo opinor aegre feret quod Sophocles de iuris gentilicii natura explicatius dicere noluit: neque decebat hoc poetam neque opus erat Graecis scilicet audientibus, quibus Antigonae cogitandi ratio familiaris erat. apte igitur, ut mihi quidem videtur, usus est poeta eo quod apud Herodotum narratum invenerat Persidis mulieris acumen, nisi forte universam tragoediae rationem Herodoti narratione commotum poetam confinxisse audeas suspicari.

itaque non deis offensis opitulantem poeta finxit Antigonam, sed suae gentis suique fratris iura ab novicii regis usurpatione defendentem. incredulus si perstes, quomodo fieri potuit ut poeta pientissimus occisa Antigona divina iura gravissima clade afflicta conculcari pateretur? defendi saltem expectamus virginis fortitudinem ab eo qui summum fabulae momentum adicit, a Tiresia. prodit sanctus senex: nonne graviter feret iniuriam Antigonae factam, nonne vituperabit Creontis parricidium, nonne laudabit pium ac forte virginis facinus? at ille de Antigonae facinore supplicioque futuro tacet, nihil queritur nisi urbem corpore insepulto pollutam, deos cadavere a canibus vulturibusque iam di-

laniato offensos, nihil iubet nisi ut iusta sepultura Polynicis membra impertiantur. hoc vero postquam Creo facturum se fortiter negavit, tum divino tamquam numine instinctus vates talia profatur (1064):

ἀλλ' εὖ γέ τοι κάτισθι μὴ πολλοὺς ἔτι
τροχοὺς ἁμιλλητῆρας ἡλίου τελῶν,
ἐν οἷσι τῶν σῶν αὐτὸς ἐκ σπλάγχνων ἕνα
νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσηι,
ἀνθ' ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω
ψυχήν τ' ἀτίμως ἐν τάφωι κατώικισας,
ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδ' αὖ θεῶν
ἄμοιρον, ἀκτέριστον, ἀνόσιον νέκυν·
ὧν οὔτε σοὶ μέτεστιν οὔτε τοῖς ἄνω
θεοῖσιν, ἀλλ' ἐκ σοῦ βιάζονται τάδε.

'filium, inquit, mortuum dabis pro mortuis, quorum alterum vivum in sepulcro condidisti (i. e. Antigonam), alterum mortuum inferiis privasti (i. e. Polynicen)'. quibus addit in universum dictam sententiam (1080):

ἐχθραὶ δὲ πᾶσαι συνταράσσονται πόλεις
ὅσων σπαράγματ' ἢ κύνες καθήγνισαν
ἢ θῆρες ἤ τις πτηνὸς οἰωνὸς φέρων
ἀνόσιον ὀσμὴν ἑστιοῦχον ἐς πόλιν[1]).

hoc igitur caput est orationis, nefas esse insepultum manere corpus mortuum. in Antigonam vero scit quidem Tiresias quam severe statuerit rex, et improbat poenam gravem, sed longe abest ut patrocinium virginis suscipiat vel sancta deorum iura ab illa egregie defensa esse praedicet. non curat Antigonae sortem, sed Creo quod iniuste fecit, hoc dolet. Creo enim quicquid est Tiresiae debet gratiae ac beneficio, qui ipse (1058) *ἐξ ἐμοῦ γάρ*, inquit, *τήνδ' ἔχεις σώσας πόλιν.* itaque occisis Oedipi filiis Tiresiae au-

---

1) miro modo haec verba interpretari solent (etiam Bethe De carm. Theban. p. 97), tamquam reliquarum quoque civitatum reges, qui ad Thebas constiterint (*ἐχθραί*) et occiderint, insepultos relictum iri Tiresias praedixerit. quae quomodo cum eis quae antecedunt coeant non intellego. 'deos inferos, inquit, iniuria affecisti: propterea funeralis lamentatio tuam iam domum complebit. omnes autem omnino urbes infortuniis conturbari solent dis invisae, ubi corpora mortuorum a canibus vel vulturibus dilaniata vivis sepulcris conduntur'. audacter dictum *ὅσων σπαράγματα* i. e. *ὅσων τὰ σώματα ὑπὸ κυνῶν ἢ θηρῶν ἢ οἰωνῶν σπαραττόμενα καθαγνίζεται*, sed quoniam de cadaveribus agitur neque canes avesque *σπαράττειν* possunt nisi cadavera, facile feremus e verbo praedicativo *σπαράττειν* repetitum nomen substantivum *σπαράγματα*.

ctoritate factum est ut agnito affinitatis iure (174) Creonti regnum traderetur: fuisse fingit poeta qui adversarentur, in quibus maxime, ut licet suspicari, Antigonam. accepti beneficii mercedem vates hanc exigit ut pareat sibi Creo (992), qui cum officiose responderit *οὔκουν πάρος γε σῆς ἀπεστάτουν φρενός*, laudat ille regis obsequium *τοιγὰρ δι' ὀρθῆς τήνδε ναυκληρεῖς πόλιν* (994)[1], Creo autem gratum se profitetur *ἔχω πεπονθὼς μαρτυρεῖν ὀνήσιμα*. graviter igitur imperat vates, humiliter paret rex, eoque aegrius Tiresias fert nunc primum rebellantem Creontem eoque citius Creo imperiosum Tiresiae iugum excutere studet. vix dubium esse potest quin Creontem Thebanorum regem Tiresiamque Creontis fautorem Labdacidis inimicos ipse Sophocles ad fabulae suae necessitatem finxerit, sed finxit probabiliter. aversus enim debebat vatis animus esse a Lai Oedipique flagitiis, non potuerat Laium Chrysippi raptorem a foedis puerorum amoribus ad sanctam Iunonis religionem revocare, non potuerat Lai caedem, Oedipi incestum, Eteoclis Polynicisque fraternas discordias prohibere: debebat scelerosae gentis interitum cupere et novam regum stirpem desiderare homo deorum legibus servandis addictus. etiam in Oedipo Rege fabula poeta suspicantem facit Oedipum, Tiresias cum Creonte coniuratus ne sibi regnum invideat, ut ait vati iratus (399): *ὃν δὴ σὺ πειρᾷς ἐκβαλεῖν, δοκῶν θρόνοις παραστατήσειν τοῖς Κρεοντείοις πέλας*. hacpropter Tiresias non Antigona cupit ut salva sit scelesti patris filia, sed Creo ne et ipse sceleribus inquinetur. at tamen Antigona si aliud nihil voluisset nisi ut deorum iura sive superorum sive inferorum inviolata manerent, Tiresias sane patrocinari illi debebat, et ita quidem ut deorum vindex virgo iniusto supplicio liberaretur. sed Antigonam contra rem publicam rebellem ius erat occidi neque quisquam Atheniensium iniuste factum exprobrare poterat.

sed et iucundum erit et utile hoc perpendere, quomodo Sophocles traditam fabulam ita conformaverit ut tragoedia fieret. victo pulsoque Argivorum exercitu vetus fama fuit Thebanos victores hostium corpora funere interdicto canibus avibusque insepulta proiecisse, quod antiquis temporibus nefas non visum epicorum poetarum fide constabat. in mansuetum postea religione

---

1) h. e. 'propterea quod mihi semper oboediens fuisti, nunc regnas, non per ambages sed recta via ad rei publicae gubernacula evectus, nulla difficultate impeditus'. non video Valckenarii coniectura *τήνδ' ἐναυκλήρεις πόλιν* quomodo probari possit. ceterum imagine eadem usus Aeschylus dixerat Sept. 651 *σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι ναυκληρεῖν πόλιν*.

mutata tragici ut alia multa abiecerunt ita ne hanc quidem morum atrocitatem servassent, nisi argumentum scaenae aptissimum peti inde posse vidissent. propinquitatis vincula cum ne morte quidem laxari crederent Graeci, religioni habebant ne suorum corpora iusta sepultura inferiisque debitis privarentur: gentiles si non supererant sive mortuo non aderant, alii cuilibet incumbebat pium sepeliendi officium. sepeliri si quis vetabat, nisi dei intercedebant, vis illata vi defendi poterat. ab Adrasto rogatus Theseus Euripideus corpora Thebanorum edicto sepultura prohibita bello armisque repetiit et sepulcro condenda gentilibus tradidit. impeditior erat Antigonae causa. ipsa enim cum Thebis degeret Thebanorum legibus Creontique novo regi subiecta, Polynices frater contra patriam pugnans ceciderat. hostem patriae Creo victor edicto publico sepeliri vetuerat, quo ut reliqui omnes ita etiam soror tenebatur; fratrem vero cum insepultum iacere nollet, regis civitatisque imperio adversata publicum ius quam gentilicium violari maluit. scite autem Sophocles non cives universos, ut est apud Aeschylum (Sept. 1006 δοκοῦντα δήμου προβούλοις), sed unum hominem edicti auctorem fecit. regem igitur finxit non ex Oedipi sanguine ortum (vides cur Laodamante vel Thersandro hac in re uti non potuerit), non consanguineum Antigonae sed matris fratrem; huic Oedipi filiis sine prole mortuis affinitatis iure regnum evenisse finxit. Creontis arbitrio constitutum minus offendebat edictum a cultioris saeculi ingenio alienum. inter Creontem igitur iuris publici vindicem et Antigonam iuris gentilicii patronam pugnatur, qua ex pugna consentaneum est Antigonam victam discedere: violatae legis legitima rei publicae poena solvenda erat. iam vero ut credi posset Antigona virgo omni amicorum praesidio destituta cum Creonte rege in certamen descendisse, hoc poetae ars efficere debebat. finxit igitur virginem singulari quadam animi fortitudine, duram pertinacem, ad insolentiam paene superbam, alienae voluntatis fastidiosam, flecti ac cedere nesciam. virile magis quam mulieris ingenium est, ut tamen ab humana natura non deficiat. quodsi dum pugnat poenam mortemque contemnere videtur, gaudemus quod in ipso mortis conspectu et vitae gaudia adempta queritur et mortis terrores expavescit. ubi tamen adest Creo, superba proterva impavida, vitae taedio plena, moriendi cupida, longa scilicet miseriarum serie defatigata et exacerbata, se suosque omnes dis non minus quam hominibus invisos sentiens eoque hostilia ab omnibus metuens, Labdacidarum gentem et regiam stirpem exhaustam aegre ferens, pro gentilium honore capitis periculum subire parata est, gloriosam mortem vitae non vitali praeferens.

praeterea autem non legem solum iniustam et inhumanam despicatui habet, sed ipsum Creontem legis auctorem odit, hominem mortuis virtute imparem, aliena gente editum, a Tiresia patris adversario in regni successionem subministratum, qui quod in fratrem vindicandi ius sibi arrogaverit, sui offendendae causa hoc factum esse non dubitat. sibi suisque hostilem esse credit: inde obsistendum illi esse persuasum habet, qui tetigerit quae sui iuris non sint, qui alterum fratrem rite sepeliverit, de altero tamquam de hoste ac servo egerit (517). adversatur Antigona non tam reipublicae quam Creonti tyranno, idque se facere velle non longa demum cogitatione adducta sed ubi primum de edicto accepit sine cunctatione profitetur.

iniquum sine dubio Antigonae de Creonte iudicium est, sed ira et odio occaecata facile intellegitur quomodo errare potuerit. Creo enim provectioris aetatis homo, in re publica nondum versatus, imperandi insuetus, bona voluntate magis quam prudentia commendabilis, mollioribus animi motionibus nec suis neque alienis indulgens, fortis honestus severus pertinax, publici commodi observantissimus sed quid prosit aliorum magis institutione edoctus quam ipse expertus, Tiresiae ope ad regnum evectus, suae virtutis ipse sibi probe conscius, dignitatis suae eo magis sollicitus quo minus se civibus gratum sentit, Creo igitur ut probum ac gravem, iustum ac severum dominum se praeberet simulque ut civium voluntatem parum propensam experiretur, Polynicem cum adversus patriam arma tulisset edicto vetuit sepeliri, omne aequitatis pondus in eo positum esse ratus ut amicus non pari atque hostis honore haberetur utque discrimen fieri intellegeretur bonos inter atque improbos. civium quidem nonnullis edictum parum probatum iri expectabat, Antigonam vero ut mulierem patienter laturam esse non dubitabat. cum virgo deprehensa adducitur, primum vehementer perturbatus et commotus (403) nuntianti fidem abrogat, mox nec iustitiae pietatem nec gentilicia iura legi publicae antehabenda esse arbitratus argumenta rationesque Antigonae neque refutat neque curat, haud scilicet ignorans sui pariter odio ac fratris gentisque pietate illam moveri. reliqua omnia parvi pendens unum ipse tenet, egregium novicii regis exemplum (667):

ὅστις δ' ὑπερβὰς ἢ νόμους βιάζεται
ἢ τοὐπιτάσσειν τοῖς κρατύνουσιν νοεῖ,
οὐκ ἔστ' ἐπαίνου τοῦτον ἐξ ἐμοῦ τυχεῖν·
ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν
καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τἀναντία.

eoque quod ridet Antigona regem regisque legem, quod contemnit

poenam a rege constitutam nec poenae magis quam praemii loco aestimat, hoc iratus durior fortasse fit quam esse voluerat. quod mulier est quae regi adversatur, hoc eo magis irritatur quo magis debilem mulieris naturam contemnit quoque probrosius existimat virum cedere mulieri (525. 756 alia). finxit igitur poeta duo homines contraria volentes, alterum cum altero pugnantes, firma fortique utrumque voluntate praeditum, flecti ac cedere nescium utrumque. certe Antigona quamvis mulier moveri nunquam poterit: nec iure suo cedet nec regi. rex deprecanti poenam fortasse remitteret, sed obstinatae obstinatum et ipse se praebet. flectetur aliquando, sed non rationibus vel argumentis victus, sed metu: metuit ne vera Tiresias vaticinatus sit, probabilia esse ipse intellegens, gravissimis calamitatibus afflictus concidit homo fortissimus. paria paris duritiae ingenia pulcro artificio ipse poeta descripsit. Creo enim Antigonae haec respondet (473):

ἀλλ' ἴσθι τοι τὰ σκλήρ' ἄγαν φρονήματα
πίπτειν μάλιστα καὶ τὸν ἐγκρατέστατον
σίδηρον ὀπτὸν ἐκ πυρὸς περισκελῆ
θρανσθέντα καὶ ῥαγέντα πλεῖστ' ἂν εἰσίδοις·
σμικρῷ χαλινῷ δ' οἶδα τοὺς θυμουμένους
ἵππους καταρτυθέντας· οὐ γὰρ ἐκπέλει
φρονεῖν μέγ' ὅστις δοῦλός ἐστι τῶν πέλας.

id igitur in Antigona reprehendit quod idem postea Haemo in patre, duplici et ipse similiter imagine usus (712):

ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάρροις ὅσα
δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ὡς ἐκσῴζεται·
τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται.
αὕτως δὲ ναὸς ὅστις ἐγκρατῆ πόδα
τείνας ὑπείκει μηδέν, ὑπτίοις κάτω
στρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν ναυτίλλεται.

hominum igitur duorum ingenio consimilium res agitur. non hoc disputant, utrum religionis gentiliciae an rei publicae ratio plus valeat: nulla enim argumenta aut Antigona affert ut reipublicae auctoritatem infringat aut Creo ut sacra gentis Labdacidarum iura tollenda esse comprobet. non ratio cum ratione confligit — utram enim poetam dicas vincere voluisse, si quidem perit Antigona, plus quam perit Creo? — sed homo cum homine. eadem pertinacia credimus Creontem quidquid aliud sui iuris putaret executurum, eademque pertinacia Antigonam credimus si quid aliud ab rege intolerabile pateretur recusaturam fuisse. quae sua natura inter se contraria sunt, cum praesertim pari utrumque

vi et constantia sustentetur, conciliari nequeunt: neutrum aut vinci aut vincere potest. necesse est ut iuxta sint et pari iure utantur, prudentis est cavere ne unquam inter se confligant. sed vetus fabula de Antigonae et regis vel civitatis certamine tradita erat, traditam accepit Sophocles et ita tractavit non ut alterum recte alteram perperam fecisse commonstraret, sed ut duo homines simili indole praediti quibus rebus commoti quo iure quave iniuria altera innatam erga fratrem pietatem, alter traditam regis auctoritatem defenderent, probabili arte repraesentaret. si gentiliciam pietatem in re publica tolerari non posse credidisset poeta, non Antigonae solum moriendum sed etiam ius gentilicium tollendum esse docere debebat, si regis auctoritatem gentiliciae pietati cedere fas duxisset, non Creo gravissime afflictus sed ipsum regnum interitu damnatum finis fuisset fabulae. quorum cum utrumque absurdum esset, quid fecit poeta? Antigonae citum consilium cito perficitur: ineunte fabula factum est quo capitis poenam meruit. itaque non iam paribus armis Creontem inter et Antigonam pugnatur: haec quod fecit infectum fieri nequit, ille nihildum fecit omnisque in eo versatur expectatio, num perfecturus sit quod facturum se promiserat. renitenti poenam remittere nequit, actum est de Antigona. cui quamquam favemus humana humaniter et peragenti et perferenti, iniuriam tamen fieri negamus. mitigavit poenae severitatem poeta eo quod miseriarum onere oppressam moriendique cupidam fecit: gentis suae ultima est, nec tamen etsi viveret gentis vitam propagare posset, funesto gentis excidio fracta ipsa nihil nisi privata vitae gaudia amittit, quae quamquam vita decedens adempta sibi queritur tamen felix nunquam eis fruitura fuerat. Antigona simul ac damnata est, Creontis victoris causa agi coepit: Haemoni filio, qui privatam patris obstinationem, publicam tyranni magis quam regis libidinem castigat, qui communem universae civitatis indignationem Antigonaeque apud omnes admirationem describit, qui denique suam ipse necem minatur, Haemoni resistit, ut tamen remittens aliquid severitatis Ismenam poena eximendam esse concedat. Tiresiae spernit admonitiones, minis tandem aliquando licet invito animo movetur, at sero: multo sane graviore poena ipse afficitur quam Antigonam afficere potuit, eis amissis in quibus suae gentis propago posita erat, et filio et uxore, neque id assecutus ut Labdacidarum memoria nova et puriore gente in regno substituta interiret.

ferebat fabulae argumentum ut de rei publicae forma, de legum vi, de civium officiis, de commodo publico saepius dicendi locus esset, indeque coniecerit quispiam earum rerum quae tunc temporis

Athenis agebantur tamquam imaginem poetam repraesentare voluisse. sed a Sophoclis ingenio talia mihi prorsus aliena videntur esse neque sine gaudio vidi, nec Creontem cum Pericle nec Tiresiam cum Lampone ita comparari posse ut similitudo constaret. singula tamen quaedam fieri potest ut ad certorum quorundam hominum sive res sive mores sive opiniones adsimilare voluerit, velut Periclis in libera re publica imperantis simulacrum facile recognoscas in Creonte, Creontis de mulieris in re publica auctoritate iudicium spectare conicias ad Aspasiam Milesiam, a qua Periclem ad Samium bellum suscipiendum incitatum fama fuit. sed levia haec sunt et incerta. probabilius quispiam chori verba (368) ad certi cuiusdam hominis exemplum derecta suspicetur:

νόμους γεραίρων πόλεως θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν[1])
ὑψίπολις· ἄπολις ὅτωι τὸ μὴ καλὸν ξύνεστι τόλμας χάριν.
μήτ' ἐμοὶ παρέστιος γένοιτο μήτ' ἴσον φρονῶν ὃς τάδ' ἔρδει,

i. e. 'nolim aut urbis aut consiliorum particeps esse ei qui audaci animo facit quae rei publicae legibus contraria sunt: is enim *ἄπολις* est, *ὑψίπολις* vero qui paret legibus publicis'. videtur notari aliquis qui rei publicae adversatus civitate expulsus erat, fortasse Thucydides Melesiae filius, anno 442 ostracorum iudicio exul.

---

1) chorus dum duo dicere videtur, *νόμους πόλεως* et *θεῶν ἔνορκον δίκην* (i. e. ius deis iuratis sancitum), unum dicit: nam quod lege sancitum est, idem ius iustum est, *τὸ μὴ καλόν* i. q. *τὸ μὴ δίκαιον, τὸ παράνομον.* saepissime *δίκη* et *νόμος* vocabula consociata reperiuntur, etiam Antig. 23, ubi non interpolatum esse crediderim sed librariorum culpa turbatum: *'Ετεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκηι χρησθεὶς δικαίαι καὶ νόμωι κατὰ χθονὸς ἔκρυψε τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς.* emendare non possum, sententia talis fuisse videtur 'Eteoclem qui iure ac lege pro patria pugnans fratri se opposuerat'. *τὸ δίκαιον καὶ τὸ νόμιμον* coniuncta habet Plato Protag. 327 b. Rep. II 359 a. Leg. 700 d aliisque multis locis, sed in Protagorae p. 327 e scribendum puto *ὅστις σοι ἀδικώτατος φαίνεται ἄνθρωπος τῶν ἐν νόμοις καὶ δικαίοις* (*καὶ ἀνθρώποις* codd. i. e. KAIANOIC) *τεθραμμένων*, cf. sophistae verba apud Iamblichum Protr. p. 100, 15 Pist. *διὰ ταύτας τοίνυν τὰς ἀνάγκας τόν τε νόμον καὶ τὸ δίκαιον ἐμβασιλεύειν τοῖς ἀνθρώποις* et Dionis or. XXX 26 *κατοικίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐφ' ἥττοσι τιμαῖς καὶ ὄλβωι, δικαίοις δὲ καὶ νόμοις τοῖς αὐτοῖς.*